



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita Et Morib. Ignatii Loiolæ, Qvi Societatem Iesv
Fvndavit, Libri III**

Maffei, Giovanni Pietro

Dvaci, 1585

De sociis ad Jgnatium adiunctis. Cap. XXI.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44004

De socijs ad Ignatium adiunctis.

CAP. XXI.

ASC E igitur, aliasq. eiusmodi infectationes atque pericula Ignatius Christi causa cōtraxit. attamen idem plurimorū quoq. sibi gratiam ac beneuolētiam optimis artibus peperit. Fuit enim in illo, præter diuinitus infusa charismata, mirum etiam atq. efficax ingenium & studium ad animos hominum demerendos. In principum amicitias opportune insinuare sese, eademq. obsequio & submissione tueri; pares facilitate ac suauitate morum allicere; inferioribus & egētibus, auctoritate, opera, necnon è suis angustijs etiā pecunia præsto esse; morbo aliquo laborantes vel cum valetudinis & contagionis periculo adire, solariq. amantissime; eorum quibus cum viueret, agerere, vel difficultatem naturæ, & arrogantiam perpeti; vel ineptias ac stultitiam, quoad ita res ferret, exorbere dissimulatione mirabili; ad aliorum arbitrium ac voluntatem, quibuscumque rebus honeste posset, semper accōmodare se ac flectere; omnibus deniq. in Christi gratiā omnia fieri: vbi penitus in hominū sensus ac volūtates irrepserrat, tum demum officijs ac beneuolentia comprehēsos occupatosq. pro suo quemq. captu, sensim & caute progrediens, Christianæ religionis & officij præceptionibus excolebat. Atq. his ferme artibus, & simul sanctimonix ac frugalitatis exēplo, multos, vt diximus, à turpi ac flagitiosa vita nō modo ad sobrietatē & continentiā, sed etiam ad contēptum rerū mortaliū, atq. ad salutaria cōsilia Christi cōuertit. Complures præterea hereticos, grassante iam tum peste Lutheriana,

tempe-

tempestiuus disputationibus monitisq. conuictos, ad sacra Quæstorum tribunalia volentes adduxit; & cum sancta Romana Ecclesia in gratiam secreta abiuratione restituit. Iam vero, quod ei vel in primis propositum initio fuerat, vt aliquos ingenio doctrinaq. præstantes, ad suum institutum ac vitæ rationem aggregaret; in idipsum per Theologiæ maxime tempus incubuit; adiunxitq. sibi, Deo bene iuuante, iuuenes nouem ex academia vniuersa lectissimos. quorum primus fuit Petrus Faber Allobrox, pago Villareto Gebennensis diœcesis humili natus loco, sed egregie pius, quippe qui duodecimo ætatis anno per summum sanctimonix studium virginitatem Deo vouerat; idemq. ad litteras à vita pastoralis traductus, tantum ingenio industriaq. profecerat, vt eum in locis Aristotelis difficilioribus magister ipse Penna consuleret. Hunc igitur Ignatius & studiorum & contubernij communione sibi coniunctum; licet socium gloriosi operis ipso initio destinasset, non tamen continuo illi rem aperuit, neq. ad tantam perfectionem impellere confestim aggressus est. sed conscientiam excutere, & in se ipsum quotidie diligenter inquirere primū edocuit, deinde ad totius antea vitæ noxas per sacrā confessionem expiandas adduxit. postremo, cum iā philosophiæ curriculum exegisset, spiritualibus exercitationibus perpoliuit; adeo propensum ad penitentiam, tantoq. animi ardore succensum, vt hieme summa, concretum glacie flumen Sequanam plaustris impune prementibus, in separata Iacobæi vicidomuncula propositas meditationes, & quidem insidens niui sub dio peregerit, sexq. ipsos dies omni prorsus cibo potuq. abstinuerit, inediā lōgius utiq.

protra-

protracturus, nisi eum, re animaduersa, consultoque suppliciter Deo vetuisset Ignatius. & sane respondit operi fructus. Cum enim antea in eligendo certo vitæ genere Faber mira animi solitudine, variisque scrupulorum molestiis adeo torqueretur, vt præ nimio angore sese in anias abdere solitudines, ibiq. radicibus herbarum victitare pæne decerneret; ex hac spiritali exercitatione vocari se vna cum Ignatio ad animorum subsidium non dubie sentiens, tantam est pacem ac tranquillitatem conscientiaë consecutus, vt ex vehementissima tamquam agitatione ac salo, placidum tutumq. portum se deniq. nactum esse profiteretur. Ex eodem contubernio Franciscus quoque Xauerius nobilis Cantaber, idemq. non vulgari eruditione, quippe qui laurea magistrali donatus Luce-tia postmodum publicus Aristotelis interpres extiterit; quamquam principio ita nõ studiosus Ignatij, vt eius pietatem (vt fit) etiam procaciter irrideret; tamen viri tum patientia, tum obsequiis adeo delin-tus est, vt ad illius ductum arbitriumque sese omni-no contulerit. Hunc & diuitiarum affluentia, & viu-ido ingenio, & viribus corporis præferocem, admira-bili prudentia ac lenitate mansuefecit Ignatius, in eamq. rerum humanarum despicientiam, & caritatis ardorẽ paulatim adduxit, vt inter ipsa Exercitia spi-ritualia, tum ad carnis macerationem quattuor dies ieiunus omnino transfegerit; tum vero quòd inter iuuenum greges defultor eximius, corporis agilitate sibi nimium placuisset; ad eius piaculum vanitatis, membris valido fune perstrictis, non sine acri sensu doloris, dies aliquot in commentandi orandiq. la-bore atq. attentione perstiterit. Hic est Xauerius il-le, qui non multo deinde post, Ioannis Lusitaniae re-gis

F gis 103

gis rogatu, ex auctoritate Pontificis Romani missus in Orientem, plenus Apostolico spiritu, tota India maritima summis laboribus ac periculis peragrata, in vltimas Iaponiorum terras Euangelij lumen primus intulit, atq. ingēti infidelium numero ad Christum adiuncto, multis clarus miraculis, in ipso aditu Sinarum excessit è vita. Porro Xauerium & Fabrum imitati sunt Iacobus Laines Saguntinus, qui deinde Societati nostræ proximus ab Ignatio præfuit, vir de Christiana republica in primis optime meritus; & Alfonsus Salmeron Toletanus, Græcis & Latinis literis admodum eruditus: vterq. confecto Compluti philosophiæ curriculo, Parisiosq. partim Theologiæ causa, partim etiam Ignatij noscendi gratia profecti, de cuius laudibus iam tum in Hispania, constanti hominum sermone multa cognouerāt. Accessit ad hos etiam Nicolaus Bobadilla Palentinus, doctus iuuenis, & philosophiã publice professus in oppido Hispaniæ Pintia: itemq. præstanti indole Simō Rodericus Lusitanus. & post aliquanto, Claudius Iaius, & Ioannes Codurius Gebennenses, Paschasiusq. Broetus Ebredunēsis, Fabri præcipue item Allobrogis (cuius iam erat nomen Parisiis celebre) monitis & exēplo permoti. Hi omnes, impulsu plane diuino, cum alter alterius consilium ignorarent, post exactissimam totius vitæ confessionem spiritualibus exercitiis ab Ignatio perquàm diligenter exculi, vehementi quadam spiritus motione sese non quidē in vmbra ac solitudinem, sed in solem ac puluerē euocari ad prælia Domini prælianda senserunt. nec fuit è nouem vllus fere, quin ad propitiandum cęleste numen, eiusq. voluntatē suppliciter exquirendā; præter ceterā abstinentiam, & incōmoda voluntaria, tridui,

vt mi-

Vt minimum, totius in ediam spōte pertulerit, nimis
 audaci fortasse consilio; nisi eos & multorum exem-
 pla, & feruor simul ætatis ac pietatis excuset. Hosce
 igitur socios Dei beneficio nactus Ignatius (quorū
 tres erant superstites hęc scribēte me, Salmeron, Ro-
 dericus, & Bobadilla) quod iam diu moliebatur &
 agitabat animo, re ipsa aggredi primo quoq. tēpore
 statuit; vt Hierosolymas Pōtificis maximi permissu
 repeteret; gentesque finitimas Christiana quondam
 religione præstantes, deinde Mahometis nefaria su-
 perstitione deceptas, vel à miserabili errore ad veri-
 tatem Euāgelij reuocaret, vel certe (quod erat proxi-
 mum) sanguinem ac vitam in causa tam pia, tamque
 gloriosa profunderet. Neq. sane difficile fuit, ceteros
 iam sponte currentes, & Dei amore incēsos, in eam-
 dem sententiam & propositū adducere. & quia ple-
 riq. Theologiæ studia nondum absoluerant; ne inte-
 rim conceptus ardor animi refrigesceret, & simul vt
 ipsorum eo gratius diuinæ maiestati obsequiū esset,
 quo maiorem sibi met ipsi necessitatem seruitutis ac
 religionis imposuissent; implorato beatissimæ Vir-
 ginis patrocinio, ac sancti Dionysij Areopagitæ, cu-
 ius in tutela Parisij sunt, in æde suburbana, quæ Mōs
 martyriū dicitur, sub confessionis & Eucharistiæ my-
 steria voto sese obstrinxere singuli, emēsis Theolo-
 giæ spatiis continuo mortalibus rebus nuntium re-
 mittendi, atq. in paupertate perpetua seruiēdi glorię
 diuinæ, salutiq. animorum: ac nominatim, ad consti-
 tutam diem Hierosolymā eo consilio nauigādi, vt in
 conuersionem infidelium toto pectore incumberēt;
 palmanq. martyrij studiose captarent. id consilium
 si qua re impediretur, anni circumactō spatio deniq.
 Romam adirēt, suamque operam summo Pontifici

Christi Vicario ad spirituale proximorum auxilium sine vlla vel præmij pacto, vel temporum aut locorum exceptione deferrent. Id votum in eo templo vouere ingenti consensu & alacritate, anno post Christum natum M. D. XXXIV. octauodecimo Kal. Septembris, quo die Assumptionis MARIÆ Virginis anniuersaria gratulatio celebratur. idemq. votum eodem loco dieq. pariter anno proximo ac tertio renouarunt, atq. ea res tum ad conspirationem ac vinculum animorum, tum ad confirmandas in suscepto consilio mentes omnium mirifice valuit. Incendebant præterea studium alter alterius omni genere officij & caritatis, duce ac moderatore simul Ignatio, quem omnes vt parentem eundem & vnice diligebant, & valde reuerbantur. ac primum spirituales modo apud hunc, modo apud illum agitare cœtus; ibiq. suauissima de rebus diuinis habere colloquia, & sese mutuo ad Christianam laudem & decus hortari; deinde in studiorum difficultatibus, locisq. obscurioribus adiuuare inter se, & lucubrationes quisque suas, lumenq. doctrinæ & ingenij, cum res exigeret, in commune conferre; præterea inuicem sibi omnibus in rebus adesse certatim; deniq. à frequenti sacramentorum vsu, & assiduitate precandi meditandique, nullo pacto recedere. quibus rebus & varias dæmonum insidias tentationesque, conantium eos ab incepto reuocare, vicerunt; & breui tanta coaluere concordia, vt quamquam è diuersis, nec non infensis inter se orti nationibus, gratia tamen superante naturam, intra eosdem alti parietes, atque adeo ex vno propemodum omnes vtero in lucē editi viderentur.

LIBRI PRIMI FINIS.

DE